



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ**

**Foullon, Jean E.**

**Leodii, 1657**

X. Christi doctrina ea de re.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)

nutrici; si ipsa alit, brevî tamen ablaçtat; Deus erga hominem semper fungitur nutriticis officio, ideóque nomen Tšaddai sibi tribui voluit, ut Mammofus diceretur; & Sapientia feu Providentia divina, loquens instar Deo assistentis, de seipsa pronuntiat, *cum eo eram cuncta componens*, creans ac conservans, feu, ut alia versio habet, *cum eo eram velut nutrix*. Denique mater filium ablaçtatum sinu & brachiis gestat, donec per se ingredi didicerit: Deus semper portat hominem verbo virtutis suæ, multò magis quàm cæteras partes Universi: *usque ad senectam ego ipse*, inquit per Isaiam cap. 46. *& usque ad canos ego portabo*.

X. Abire hinc non possumus, quin  
*Christi doctrina ea de re.* indicemus argumenta quibus  
 Christus ipse Matth. 6. curam  
 illam Dei de hominibus plusquam paternam commendat, & sollicitudinem hominum nimiam de rebus temporalibus circumcidit. Primùm, quia ista sollicitudo Deo contumeliam facit: de ipso enim diffidit, quasi providere vel nesciret, vel nequiret,

quiret, vel nollet. Cùm tamen velit, quia Pater est, & animam dedit ac corpus, quæ pluris sunt quàm alimenta: cùm possit, quia Creator est & Conservator, quod volatilia cali docebunt, & lilia agri: cùm sciat, quia est Pater celestis, & è specula sublimi æternitatis suæ singula contem-  
platur. Deinde, indigna est Christiano sollicitudo istiusmodi: hæc enim omnia gen-  
tes inquirunt. Disputent crassi Judæi, Numquid Deus panem poterit dare, aut para-  
re mensam populo suo? At Christianos post certam Providentiæ divinæ cognitionem, & experientiam quotidianam, diffidere, prorsus intolerandum est. Tertiò, cura est inutilis & supervacanea: Quis enim cogitans poterit adjicere ad staturam suam cubitum unum? Quis æger sanitatem promovet assiduè de illa meditando? Quis mercator navim anxiam curâ in portum impellit? Quis pater-familias inquietis & importunis consiliis rem domesticam auget? Quis bellator, aut princeps, publicæ tui prodest tumultuosis imminentium negotiorum, aut periculorum, præcogitationibus?

tationibus? Neque inutilis modò, sed & plurimùm noxia est nimia sollicitudo. Multi de vestibus anxie satagendo corpus exedère: plures curâ ciborum ac ventris animam perdidère: plurimi jacturam æternorum immodicis caducorum studiis fecère. Nonne tamen *anima plus est, quàm esca; & corpus plus, quàm vestimentum?* Nonne propter vitam caussas vivendi perdere, infælicissimæ insanix est?

XI.  
*Deus singu-  
lariter ami-  
cos curat.*

Ex affectu Dei singulari erga quosvis homines, facile est colligere peculiarem ipsius erga amicos suos providentiam, ut ejus exigit ordinatissima caritas. *Misericordiam & veritatem diligit Deus*, inquit Regius Vates Psal. 83. quod alii, valdè aptè ad argumentum nostrum, vertère ex Hebræo, *Sol & scutum Dominus*. Quemadmodùm enim Sol illuminans per omnia respicit, & oritur super justos & injustos: influentiarum tamen arcanâ vi Lunam, aurum, adamantem, corda animantium singulariter afficere dicitur. Et quomodò scuto, non pectus solùm sicuti lorica, aut caput veluti